Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30277
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

Qui dum multis pravis actibus esset intentus, etiam dum terram suam exararet, quantum poterat terre vicinis suis subripiebat, et metas suas transgrediens, iugeribus suis terram aliorum furtim sociabat. Tamen sanctam dei genitricem semper in mente habebat, et plerumque eam sicut de quibusdam supra scripsimus, sicut sciebat devote salutabat. Iste ergo cum esset defunctus et venerunt demones animam eius rapere confidenter, affuerunt etiam angeli. Qui cum proferrent pauca bona ab ipso facta, ceperunt demones econtra proferre innumerabilia mala. Cumque ob hoc exultantes putarent se vicisse, intulit unus ex angelis quod cum devotione solitus esset salutare sanctam dei genitricem. Hec audientes spiritus immundi confestim relicta anima recesserunt confusi. Sicque factum est, ut illa anima erepta ab adversariorum potestate perpetuam dampnationem evaderet, largiente domino per sue sancte genitricis merita.

De quodam priore.

Apud civitatem que vocatur Papia in monasterio sancti Salvatoris fuit quidam monachus, qui erat prior ipsius monasterii constitutus. Hic levis in eloquio erat, et pravis moribus malisque actibus deditus erat. Sed tamen quamvis ita videretur irreligiosus, sanctam Mariam matrem domini non parum diligens, singulis horis laudes dei matrisque eius canebat, et dum eas caneret semper stabat, nec ullatenus sedere volebat. Expleto denique vite sue termino, defunctus ac sepultus est. Post anni vero circulum apparuit cuidam secretario monasterii qui vocabatur Humbertus. Is autem Humbertus ut mos est secretariis, ante matutinos ymnos surrexerat quadam nocte, et lampadum lumina refovebat, stans ante altare. Et ecce prefatus defunctus frater cepit eum vocare apta voce: Frater Humberte, frater Humberte. At ille hoc audiens valde perterritus est, et ignorans quid hoc sibi vellet, ad privatas mansiones que erant in domo infirmorum quo viciniores erant monasterio accurrit. Ibi quoque defunctus frater cepit clamare: Frater Humberte, frater Humberte. Ille autem non ausus est ei respondere, sed ad stratum suum cum timore rediit. Et cum obdormisset, astitit ei ille frater memoratus et dixit ei: Quare dum te vocarem respondere noluisti? Quem ille recognoscens, requisivit dicens: Quomodo habes frater? Respondit ille: Usque nunc male fui, exilium passus in regione quadam. Ubi dum degerem multis tribulationibus oppressus, accidit ut transiret per locum illum regina veneranda, magni regis potentissima, cui dum viverem solitus eram singulis horis angelica ferre nuncia. Que videns me agnovit, et inde educens me secum adduxit, et in locum bonum misit. Hoc audiens ille frater Humbertus ceteris fratribus innotuit, quod defunctus sicut ille referebat per sanctam dei genitricem supplicium evasit. Unde colligitur quantam spem evadendi totius periculi possint percipere, si qui devote dulcissimas horas tam clementissime domine virginis personantes studuerint servire. Ipse autem Humbertus postquam hoc vidit et enarravit, intra paucos dies defunctus est.

De quodam clerico.

In supradicta civitate Papia fuit quidam clericus qui dicebatur Ieronimus, morum probitate decoratus, qui sancte dei genitrici valde studebat placere, vel salutando, vel eius horas canendo, vel etiam multis modis servicium agendo. Accidit autem ut civitatis eiusdem antistes obiret, et ecclesia sine rectore remaneret. Quam ob rem collecti clerici cum senioribus urbis statuerunt triduo ieiunium celebrari, ut ostenderet deus quem vellet episcopum fieri. Interea sancta dei genitrix cuidam viro sancto apparuit eique dixit: Vade et dic populo ut meum accipiant cancellarium, et constituant sibi eum episcopum. At ille dum percontaretur quis eius esset cancellarius, respondit hunc esse qui vocatur Ieronimus, quique esset in suo denique servicio die ac nocte strenuus. Evigilans ille narravit hoc senioribus urbis, qui requirentes ipsum Ieronimum cum magno honore fecerunt ordinari episcopum. Sicque idem Ieronimus favente dei genitrice Maria episcopali honore sublimatus, in dei servicio et eius genitricis omnibus diebus vite sue studuit servire, et post hoc feliciter obiens ad celestia regna migravit.

Item de alio clerico.

Sancti Mychahelis archangeli nomine consecrata est quedam ecclesia que Chlusa ab incolis est nominata, ubi degunt multitudo monachorum sub regula deo servientium. Porro in regione illa habetur vinum, quod quasi sanguis valde est rubicundum. De quo vino missam cantari, ne forte negligentia contingat, pro vino aquam

consuetudo est ipsius ecclesie. Cavent enim de claro vino missam cantare.